



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Decretum S. D. N. Alexandri VIII. Contra Propositiones 31. Feriâ V., die 7.  
Decemb. 1690.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

20 *Decretum S. D. N. ALEXANDRI VIII.*  
*Contra Propositiones 31. Feriâ V.,*  
*die 7. Decemb. 1690.*

**S**ANCTISSIMUS D. N. ALEXANDER Divinâ Providentiâ Papa VIII. prædictus : Pro Pastoralis Cura Ovium à Christo Domino sibi commissa de earum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, & pascua nimium perniciofa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius supra triginta Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis ac Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus commisit, qui tantum negotium diligenter aggressi, eique sedulò ac pluries incumbentes, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ sigillatim detulerunt.

*Propositiones autem sunt infra scriptæ, videlicet:*

1. **I**N statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas, quâ voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali & voluntate Adami peccantis.
2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat à peccato formali.
3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.
4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus.
5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum, adeo-

adeoque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quàm perniciosa est, sic ut proinde meritò possimus petere, à gratia sufficienti *Libera nos Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio vel mundi; si Dei, Charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necessè est infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut coelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentia Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolute, induxit, non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi Lex & præscriptio, naturâ rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administratio-

nem Sacramenti Pœnitentiæ, etiam si eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diurnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere totâ vitâ pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui Eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi & incongrua pœnitentia seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint :

23. Similiter arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. M. in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quòd indiguerit purificatione, & quòd Filius, qui offerebatur, etiam maculâ Matris maculatus esset, secundùm verba Legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26. Laus, quæ defertur MARIÆ, ut MARIÆ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *In nomine Patris, &c.* prætermittis illis, *Ego te Baptizo.*

28. Valer Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit, *Non intentio, quod facit Ecclesia.*

29. Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

Quibus maturè consideratis idem Sanctissimus statuit & decrevit 31. supradictas Propositiones tanquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, injuriosas, Hæresi proximas, Hæresim sapientes, erroneas, Schismaticas & Hæreticas respectivè, esse damnandas & prohibendas, sicut eas damnat & prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè aut privatim tractaverit, nisi forsàn impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à qua non possit ( præterquam in articulo mortis ) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, Dignitatis & Status, etiam speciali & specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propositiones in majori numero ultra supradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas approbare.